Melancholia non est humor ingeniosorum.

DVm solus vacua Morus spatiatur arena,
Mille modis varios fertq; refertq; modos.
Gestibus Autonoes plaudet sibi, ridet, & idem
Nunc manet immoto, vt saxea imago, loco.
Insanire putant alij, sed Clinicus Vfens
Esse Melancholicum dixit ab ingenio.
Clinice, dic quanam bilis regione cerebri
Ingenium genio contulit atra tuo:
Terreni te hebetant artus, & lignea moles:
Esto Melancholicus nil potes ingenio.
I magnum meditare diu, scabe, scalpe, moratur
Mens tamen activa, aut non vacat esse domi.
At flava vt vino est bilis madefacta meraco,
In coelum exultans, jusseris, illa volat.

ERGO

Igneus est olli vigor at non plumbeus ortus,
Te mista insubidum terra fluore facit.

Turba peregrinorum turbo civium.

DEsine Roma tuam mirari eversa ruinam,
Vicit victores Asia victa suos.
Illa peregrinos reperit lasciva Comoedos,
Et saltatorem Græca puella Parin.
Hospita Aventinas externa monedula sedes
Venit, & indigitis jus rapit inde sibi.
Hinc te Dedaleæ ceperunt Roma tabellæ,
Quodq; incrustatum marmore fulget opus:
Mirata hinc primum es mensas è dentibus Indis
Atque Corinthiacis æra refusa focis:
Vt dedit instructas Sybarita Trimalcio coenas,
Rident jus nigrum mascula Sparta tuum.
Deniq; tum Assyrius Tiberim confudit Orontes
Pulpita Corycium tunc oluëre crocum.
Non sic virgatis miscent alvearia vespis
Cum gentilicijs (nobile vulgus) apes.
Nunquam Ledæos interstrepit anser olores
Nulla feret raucas dulcis Acanthis aves.
Et meritò, patrij ritus, moresque valete
Extera cum nostra est plurima in vrbe cohors.